

492 Epist. 106. August. ad Bonifacium, vel Paulinum,  
cælorum; propter quod eos baptizandos esse concedunt: sic audiant  
*Marc. 16.* eundem Dominum, dicentem: *Qui non crediderit, condemnabitur;*  
*16.* quia sicut eos renasci per ministerium baptizantium, i. aetiam credere  
per corda & ora confitentium, confitemur. Audeant ergo dicere, quod  
a justo Deo innocens condemnabitur, si nullo vinculo peccati origina-  
lis innectitur.

Si sermo iste prolixus est & onerosus occupationibus tuis, da ve-  
niam: quia ut hæc ad te scriberem, & occupatus literis tuis, indicibus  
erga nos benevolentiae tuæ, tecum ista colloquerer, etiam ego vim feci  
interrumpendis occupationibus meis. Si qua illos alia excogitare  
adversus fidem Catholicam scieritis, & quæcunque adversus eos, ne  
Dominici gregis infirma devastent, vos quoque fideli & planè pasto-  
rali dilectione differitis, nota facite nobis. Hæreticorum quippe  
inquietudine, ut Scripturas vigilantiū perscrutemur, unde, ne ovili  
Christi noceant, eis possit occurri, tanquam de somno ignavia nostra  
excitatur industria. Ita per multiplicem gratiam Salvatoris, etiam  
quod inimicus in perniciem machinatur, Deus convertit in adjutori-  
*ad Rom. 8.* um: quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Semper  
*28.* in Deo vivas memor nostri, frater charissime.

## EPIST. CVI.

V. Pofid.  
in Ind.

Augustinus & Alipius Bonifacio, sive, ut alii codices habe-  
bant, & ex Aug. lib. de bono perseverantiae c. 21. colligere  
est, Paulino, Nolano, laudans librum adversus Pelagianos  
ab eo conscriptum, & pleniū eum instituens adversus  
eam hæresim.

*\*Al Boni.  
facio.* Domino beatissimo & in Christi visceribus germanitus ample-  
tendo, plus, quam dicit potest, desiderabili fratri & coepiscopo, \*Pau-  
lino, Alipius, Augustinus.

477. **T**andem aliquando providit Deus nobis literarum fidelissimum  
perlatorem, omnium nostrum meritò charissimum fratrem, Ja-  
nuarium, per quem etiam si non scriberemus, omnia, quæ circa nos sunt,  
possit Sinceritas tua, tanquam per viventem atque intelligentem episto-  
lam, noscere. Pelagium, quem credimus, ut ab illo distingueretur, qui  
Pelagius Tarenti dicitur, Britonem fuisse cognominatum, quod ut ser-  
vum Dei dilexeris, novimus: nunc autem quemadmodum diligas,  
ignoramus. Nam & nos non solùm dileximus, verùm etiam diligimus  
eum. Sed aliter nunc diligimus, aliter aliquando dileximus. Tunc enim,  
quia nobis rectæ fidei videbatur: nunc autem, ut ab iis, quæ inimica &  
adversa gratiæ Dei sentire dicitur, illius misericordiâ liberetur. Nam  
cùm